

ratificamus, innovamus et presentis scripti patrocínio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre approbationis, ratificationis, innovationis et confirmationis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui facere presumerit gravem nostre indignationis offensam se noverit incurrisse.

Datum apud Scafusam, IIII. Kalen. Iunii, inditione tertia, anno Domini millesimo CCC quinto, regni vero nostri anno septimo.

III. 1305 Mai 29 (fol. 18).

Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus nobili viro Humberto Dalphino comiti Albonnen(s) dilecto suo fideli gratiam suam et omne bonum.

Castrum de Arayka¹, si ab eo qui ipsum nunc possidet bono et iusto modo conquerere poteris, tibi et tuis heredibus dominium Dalphinatus habentibus cum omnibus suis pertinentiis et iuribus in feudum concedimus feudali titulo a nobis et imperio sine nostro imperii et alieni iuris preiudicio possidendum. Presentium testimonio litterarum nostre maiestatis sigilli robore munitarum.

Datum apud Scafusam, IIII. Kalen.^a Iunii, inditione tertia, anno Domini millesimo CCC quinto, regni vero nostri anno septimo.

IV. 1305 Mai 31.²

Nos Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus ad universorum sacri Romani imperii fidelium notitiam publicam volumus pervenire, quod quia nobilis vir Humbertus Dalphinus comes Albonen(sis) fidelis noster dilectus dominium Dalphinatus dominio de Turri addidit et univit, nos contemplatione obsequiorum nobilis viri Iohannis comitis Vapincen(sis)^b sui filii^c nostri affinis amoreque Beatricis neptis nostre sue contectalis concedimus, permittimus et indulgemus eidem Humberto, ut durante unione predicta, quam confirmamus presentibus, in dominio de Turre iuribus et privilegiis, quibus in dominio Dalphinatus gaudebat hucusque, gaudeat inantea et fruatur sine iuris preiudicio alieni. Presentium testimonio litterarum maiestatis nostre sigilli robore signatarum.

a) 'Ktan' Chart.

b) Folgt 'filii' getilgt.

c) Ueber der Zeile.

1) Ob etwa Arâches, Arachia, Aracia zwischen Cluses und Sallanches an der Arve, vermag ich nicht sicher zu sagen. Vgl. Manno, Bibliografia storica II, 320. 2) Schon bei Böhmer a. a. O. gedruckt.